

labores indefinitos mecum sustinuistis. Non enim decet unum prudentem et magnanimum virum labores et pericula timere¹, ut que preposuit et facere incepit ad finem minime perducere possit. Quid enim proderit nobis, si universum superaverimus orbem, Romanum quidem imperatorem et Romanorum principes subiugare non poterimus? Viri feroces et in armis bellicis instructi, nolite ab incepto desistere! Vir enim fortissimus et prudens in fine negotii cognoscetur. Estote igitur armis et victualibus et rebus omnibus necessariis preparati². Quibus ita dictis omnes sapientiam et magnitudinem eius comendaverunt. Hoc facto et statuto, ilico classibus undique habitis et preparatis, per fluctus maris navigantes, Romanum imperatorem et Romanorum principes festinanter persequi ^{*f. 29b.} statuerunt. Audientes Ponpeius et urbis Rome viri potentes de Cesaris adventu et ad partes transmarinas cum omni exercitu suo transmeasse, percipientes se a manibus eorum minime evadere posse, fortunam belli cum Cesare temptare statuerunt. Statim legatos regibus et principibus et amiragiis in orientalibus partibus existentibus, Romani imperii amicis fidelibus et cum Ponpeio federatis, direxit, ab eis implorantes, ut auxilium equitum et virorum bellicorum prestare deberent et festinanter in eius succursum accedere. Hii sunt reges, quibus legatos suos misit, videlicet Tholomeo regi Ydorum et Pitavio Persarum regi et Didario Bragamadorum regi et Ircanio regi Urcanie.

His ita factis et ordinatis, Iulius Cesar cum exercitu suo per ultramarinas terras pergens, loca, castra, civitates et munitiones occupabat, ipsas quidem illesas conservabat, ut in eis cum expeditione sua posset se reducere et sedem suam ponere; similiter Ponpeius et viri potentes urbis Rome civitates et munitiones ceperant et tenebant. Dum autem per septem menses stetissent, Tholomeus Idorum rex cum XL millibus virorum armatorum in succursum accessit Romanorum. Pictavius vero Persarum rex cum L millibus virorum armatorum in expeditione Romanorum intravit. Ircanius autem rex Urcanie cum XXX millibus pugnatorum armatorum in auxilium venit Romanorum. Didarius namque Bragamadorum rex cum XX millibus peditum sagittariorum ^{*ad exercitum Romanorum *f. 29c.} appropinquavit. Ponpeius et viri prudentes urbis Rome dicebantur fore tria milia CCL virorum nobilium. His ita gestis et ordinatis, iussit Iulius Cesar castra movere et versus [eos²] catervatim iter suum dirigere. Ponpeius quidem Romanorum imperator et alii reges et viri potentes, qui cum eo accederant, tamquam viri magne audacie et probitatis cum omni gente eorum se obviam Iulio Cesari prebuerunt. Fertur in agmine suo centum milia equitum nobilium bellicorum et pugnatorum habuisse.

1) 'timore' Hs.

2) Fehlt Hs.